



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum sit in anima à Deo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum peccatum originale tollatur in baptismo.

Tho. 1. 2. q. 81. ar. 3. ad 3. & 2. q. 69. ar. 3. ad 1.

CIRCA distinctionem istam primo queritur, vtru peccatum originale tollatur in baptismo. Et videtur quod non: quia sicut se habet concupiscentia actualis ad actuale peccatum, sic concupiscentia habitualis ad originale peccatum: sed manente concupiscentia actuali, peccatum actuale non potest remitti: ergo manente concupiscentia habituali, originale non potest remitti, sed illa manet post baptismum, ergo &c.

2 Item priuatio non tollitur, nisi habitus restituatur: sed in baptismo iustitia originalis non restituitur, ergo peccatum originale non tollitur.

3 CONTRA. Nullus potest simul esse filius ire & gratie, sed per peccatum originale nascuntur filii ire: secundum illud Ephe. 2. Eramus natura filii ire, & per baptismum regeneramur in filios gratie, ergo per baptismum tollitur peccatum originale.

4 RESPONSTIO. Dicenda sunt duo. Primum est qualiter omne peccatum generaliter remittitur. Secundum erit de peccato originali specialiter qualiter remittitur, scilicet per baptismum.

5 Quantum ad primum notandum est quod peccatum remitti non est aliud quam ipsum non imputari ad poenam: quod patet ratione & auctoritate. Ratione sic, Peccatum remitti non potest, nisi quo ad offensam, vel quantum ad maculam, vel quantum ad poenam. Nec enim circa peccatum aliquid aliud occurrit considerandum. Remissio autem peccati quantum ad offensam, est ipsum non imputari ad poenam: quia sicut Deus non dicitur offensus secundum affectum, sed secundum effectum in quantum ad modum offensi poenam infligit aut preparat, ita offensa dicitur remitti solum, quia poena non infligitur, aut non preparatur. Peccatum ergo dicitur quo ad offensam remitti, quia non imputatur ad poenam. Itē apparet de remissione peccati quo ad maculam, quia macula si qua ex peccato contrahitur, non est aliud quam priuatio gratie habitualis, vel deordinatio actus quantum ad peccatum actuale. Quantum ad primum macula remittitur cum gratia restituatur: Priuatio autem gratie poena est, non culpa, & scidem quod prius. Deordinatio autem actus transit cum actu transeunte: & sicut non manet actus, ita nec deordinatio: nec potest fieri quod idem actus numero sit primo deordinatus, & postea ordinatus. Relinquitur ergo tertium membrum, in quod omnia precedentia incidunt, scilicet quod peccatum remitti est ipsum ad poenam non imputari.

6 Cui concordat dictum scripturę in psalmo. Beati quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et subdit. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. verum est quod tale peccatum actuale semper imputatur homini, quousque voluntas eius deordinata prius reordinaretur, quod fit per contritionem, dum bene displicet quod prius male placuit. Sed in hoc non consistit remissio peccati actualis: sed est quoddam preuium ad remissionem, & sic patet primum.

7 Quantum ad secundum, sciendum quod cum peccatum remitti non sit aliud quam ipsum non imputari ad poenam (vt statim visum est) peccatum originale remitti, est ipsum non imputari ad poenam originali debitam. Est autem duplex poena originali debita. Vna ex parte anime. scilicet carētia gratie in presenti, & glorie in futuro. Alia est pertinet ad vires inferiores, & ad corpus, scilicet carētia rectitudinis viriū inferiorum ad rationē, & passibilitas & mortalitas corporalis. Quoad primam poenam peccatum originale remittitur per baptismum. Cuius ratio est, quia sicut per generationem naturalem acquiritur esse nature, sic per generationem spirituales acquiritur esse gratie, sed baptismus est quedam generatio spiritualis, ergo per ipsum acquiritur esse gratie & per consequens esse glorie pro futuro. Secunda autem poena non tollitur in baptismo, vt de se patet.

8 Cuius rationē quidam assignant, quia in baptismo non tollitur nisi infectio persone non nature, vnde & pater baptizatus generat filium cum originali, licet pater purgatus sit ab eo: quia purgatur in patre persona, non natura. Actus autē sunt persone, siue suppositi, siue sint actus meriti, siue prami, & ideo gratia & gloria quę ad hos

actus proficiunt, per baptismum restituuntur: gratia quidem in re, & gloria in spe: passibilitas autem & necessitas moriendi, & rebellio carnis ad spiritum sunt conditiones nature: totam speciem consequentes, & ex principiis nature per se causate, vt ostensum fuit supra, dist. 30. q. 1. ideo non tolluntur nunc per baptismum, sed tollentur in generali resurrectione quando per Christum ipsa natura liberabitur a seruitute corruptionis, vt dicitur Rom. 8.

9 Istud autē & si sit probabiliter dictum, tamen non videtur sufficere, cum in eodem non differat natura & persona, vt ostensum fuit in 1. lib. dist. 34. q. 1. Adhuc restat querendum quare defectus nature istius quoad eius personam non reparatur per baptismum, vt sicut in baptismo gratia restituitur baptizato pro se, & non pro posteritate, sic restituitur immortalitas & impassibilitas pro se, & non pro posteritate.

10 Ideo dicendum est quod sacramenta restituunt id quod est necessitatis ad salutē, non autē id quod est dignitatis: sunt etiā sacramenta medicamenta salutis anime, non corporis: sicut videmus in penitentia quę ordinatur contra peccatum actuale, sicut baptismus contra peccatum originale. Amittens enim virginitatem peccando, per penitentiam reparatur ad gratiam, quę est necessaria ad salutem, sed non reparatur ad virginitatem quę pertinet ad dignitatem, quia nec virginitas reparari potest. Similiter per baptismum restituitur rectitudo voluntatis per gratiam, sicut aliquid necessarium ad salutem: sed non restituitur immortalitas, & cetera quę pertinent ad dignitatem status: nec decuit etiam quod plus conferretur reparatis, quam reparatori, imo minus. Sed reparatorem oportuit esse mortalem & passibilem, qui per passionem & mortem non reparare venerat, ideo &c. Sicut tamen hi defectus subitari fuerunt ad Christum in sua resurrectione, sic auferentur in generali resurrectione per Christum, qui potest inter ea quę conuexa sunt vel se consequuntur, vnum restituere sine altero. Et licet nunc non auferantur, nihilominus peccati originale potest dici simpliciter remissum, quia peccatum remitti est ipsum non imputari ad poenam, vt prius dictum est. Sicut ergo peccatum actuale dicitur remissum simpliciter, quando solutus est reatus poenę eterne, licet homo remaneat obligatus poenę temporali, ita & peccatum originale dicitur simpliciter remitti per baptismum, quia ibi soluitur poenę eterne reatus, scilicet carētia visionis diuine: quauis remaneant poenę temporales, quę consequuntur sunt ex peccato originali, sicut a causa remouente prohibens.

11 Ad primum dicendum quod in concupiscentia actuali est subiectiuē deordinatio culpe actualis, & ideo ea manente manet peccatum: sed concupiscentia habitualis est poena consequens originale peccatum, quia manere potest remisso peccato originali quoad reatum poenę spiritualis, quę est carētia gratie, vt dictum est supra dist. 30. q. 3.

12 Ad secundum dicendum quod peccatum originale non est priuatio iustitie originalis simpliciter & absolute, sed est formaliter debitum habendi originale iustitiam cum dignitate carenti ea seu reatu, & illud debitum habēdi originale iustitiam & reatus quo parulus vel adultus dignus est carere ea tollitur in baptismo, & non carētia originalis iustitie, quę secundum se & absolute magis est poena quam culpa.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum peccatum originale sit in anima a Deo.

Tho. 1. 2. q. 87. ar. 1. ad 4.

Secundo queritur vtrum peccatum originale sit in anima a Deo. Et videtur quod sic, quia peccatum originale contrahitur ex hoc quod anima carni vnitur, sed anima vnitur corpori a Deo a quo etiam creatur, ergo &c.

2 Item agens est pręstātius patiente: sed nihil est pręstantius anima humana, nisi Deus vel angelus, ergo nihil potest causare aliquid in anima bonū vel malū, nisi deus vel angelus: sed angelus non potest in nobis causare culpam, sicut nec gratiam, ergo &c.

3 IN CONTRARIUM est, quia secundum Augustinum, deo autore, nemo fit deterior: sed hoc

Sup. d. 20. q. 2.

Sup. d. 30. q. 1.

Sup. d. 30. q. 3.

Sup. d. 30. q. 1.

mo

mo est deterior per quodcunque peccatum, ergo nullum peccatum est in nobis a deo.

4 **RESPONSI O.** Tenendo opinionem supradictam de peccato originali & peccatum originale in parvulo, vel adulto sit esse iuste priuatum iustitia originali quia omnes habere debent, quia iustam carentiam cum debito habendi eam, alii vocant reatum poenae quae incurritur ex peccato primi parentis quia esse iuste priuatum aliquo dono, nihil aliud est quam esse reum ut non habet tale donum, sic facile est respondere ad hanc questionem dicendo quod talis reatus qui peccatum dici potest provenit in nobis a primo parente, ipsa tamen poena quam incurrimus est in nobis a deo. Primum patet, quia obligatio ad poenam est ex aliqua culpa, sed reatus est debitum poenae siue obligatio ad poenam, ergo est in nobis ex aliqua culpa, & cum inquit ab origine, oportet quod sit ex culpa alicuius a quo originem contraximus. Sed hoc non est Deus qui animam creat, quia ut ait Hieronymus in Homil. de filio prodigo. Deus est in quem peccatum cadere non potest, ergo a culpa hominis inest nobis talis reatus (hominis dico illius qui fuit principium omnium) nam reatus communis est omnibus. Qualiter autem ex peccato vniuersi possit in alio reatus esse, patebit in sequente distinctio.

quasi.

5 Secundum patet sic, illud quod per sui influentiam est alicuius causa conseruatiua per subtractionem suae influentiae est causa eius priuatiua (ut patet de sole respectu luminis) sed Deus per suam influentiam est causa gratiae in voluntate & rectitudinis virium sensitiuarum ad rationem necnon & immortalitatis & impassibilitatis status innocentiae, ergo ipse subtrahendo suam influentiam causa est carentiae omnium istorum. In hoc autem consistit tota poena originali debita, ergo &c.

d. n. q. i.

6 **AD PRIMUM** dicendum quod peccatum originale prout nominat reatum non contrahitur ex hoc quod anima carni vnitur absolute, nam & hoc fuit ante peccatum, & semper fuisse si status ille durasset. Sed contrahitur per hoc quod totum compositum ex anima & corpore traducitur modo quo dictum est supra ab eo qui peccauit.

7 **AD SECUNDUM** dicendum quod originale non contrahitur ab alio agendo in natura praesupposita. Sed contrahitur cum natura traducta qua traducitur pater in filium in quantum pater naturam habet in actu, & filius in potentia, & ideo quoad hoc pater perfectior est filio.

### QUESTIO TERTIA.

Utrum omnes animae ab origine sint aequales.

**T**ertio quaeritur, utrum omnes animae ab origine sint aequales. Et videtur quod non, quia videmus hominem vnum esse naturaliter subtiliorem altero. Sed haec diuersitas esse non potest ex parte corporis, ut probabo, ergo est ex parte animae. Minoris probatio, quia si diuersitas subtilitatis intellectuum esset ex parte corporis hoc esset, quia intellectus vititur corpore ut subiecto, vel ut obiecto, non quia vitatur corpore ut subiecto, quia non est virtus organica, nec quia vitatur eo ut obiecto, quia eodem obiecto proposito in fantasia duorum eodem modo disposita adhuc contingit vnum subtilius intelligere quam alterum, quare &c.

2 Item articulus dicit, quod dicere animam Christi non esse nobiliorem anima Iude error est. Sed eadem ratio videtur esse de animabus aliorum, ergo &c.

3 **IN CONTRARIUM** est quod dicitur, 3. met. quod species equaliter predicatur de indiuiduis, sed istud non esset si formae substantiales secundum se essent inaequales, ergo &c.

4 **RESPONSI O.** Dicendum quod aequalitas vel inaequalitas animarum potest attendi dupliciter, scilicet secundum perfectiones earum gratuitas, vel secundum perfectiones naturales. Si quaeratur de aequalitate animarum quoad perfectiones gratuitas. Sic dicendum est quod animae non sunt inaequales ab origine, sed inaequales, quia cum haec perfectiones dependant ex sola liberalitate diuina quae communicat eas quibusdam, quibusdam vero non ut placet, & quibus communicat, communicat aequaliter vel inaequaliter secundum suum beneplacitum, & per hunc modum anima Christi ab origine excessit omnes alias animas in donis spiritualibus, ab instanti enim suae

creationis perfecta fuit donis gratiae, & gloriae, quod nemini alii concessum est, isto etiam modo anima Adae & Euae, quae creatae sunt cum originali iustitia fuerant perfectiores animabus omnium posteriorum quae statim ut sunt, obnoxiae sunt peccato originali, ut dicitur istud esse ab origine quoad tempus, quia non prius duratione fuerunt quam sub ista inaequalitate.

5 Si vero comparentur animae quoad perfectiones naturales, tunc est distinguendum, quia vel comparentur quoad essentias suas, vel quoad proprietates naturales essentiae consequentes, aut quoad proprietates communes toti composito vel subiecto, sicut sunt potentiae vegetatiuae & sensitiuae, aut quoad proprietates proprias ipsi animae, in quibus non communicat corpori ut subiecto, sicut sunt intellectus & voluntas.

6 Si comparentur quoad proprietates toti composito communes, sic non omnes animae sunt aequales ab origine: imò in vna sunt nobiliores & perfectiores potentiae sensitiuae & vegetatiuae, quam in alia. Cuius ratio est, quia sicut diuersitas actuum transeuntium in aliud secundum rem provenit ex diuersitate principii actiui, vel ex diuersa dispositione subiecti receptiui, sic diuersitas actuum transeuntium in aliud solum secundum rationem provenit ex diuersa perfectione principii elicitui, vel ex diuersa representatione obiecti: sed actus sensitiui & vegetatiui potentiae sunt diuersi & inaequales in perfectione, quia vnus perfectius & clarius videt & audit acutius quam alius: ergo istud est vel diuersitate potentiae cognoscitiuae, vel ex diuersitate obiecti, non ex diuersitate obiecti, quia idem obiectum eodem modo representatum videtur vel auditur perfectius ab vno quam ab alio, ergo est ex diuersitate potentiae: non sunt ergo aequales, sed potius inaequales. Et istud videtur multum sufficere ad saluandum articulum, cum solum dicat articulus quod animae sunt inaequales, non determinando in quibus.

7 Si vero comparentur quantum ad proprietates proprias ipsi animae, ut sunt intellectus & voluntas, sic difficile est videre quomodo inter duas animas sit inaequalitas perfectionis quantum ad has potentias, nisi ponatur inter eas inaequalitas quantum ad essentias: quia huiusmodi potentiae respiciunt essentiam animae tanquam propriam & per se subiectum cui insunt inseparabiliter. Vnde sunt in anima separata sicut in coniuncta: & ideo non videtur quod in talibus potentiis possit esse inaequalitas, nisi ponatur inaequalitas in animabus quantum ad essentias, quod potest sic probari, si in talibus potentiis esset inaequalitas, hoc esset ex parte subiecti, vel ex parte agentis: subiectum enim & agens eodem modo se habentibus necesse est effectum eodem modo se habere, ut deductum fuit lib. 1. dist. 17. q. 6. Sed talis inaequalitas non potest esse ex parte subiecti, nec ex parte agentis, ergo &c. Minor probatur, primo quod ex parte subiecti non possit esse talis inaequalitas, supposita aequalitate animarum quoad essentias, quia aequalitas subiecti non potest esse causa inaequalitatis proprietatum, quia identitas ut sic non est causa diuersitatis, nec aequalitas inaequalitatis. Neque ex parte agentis: quia quantum Deus causans animas posset in animabus aequalibus quoad essentias communicare inaequales proprietates, seu potentias: si tamen natura rerum hoc permitteret, tamen sicut dicit B. Aug. super Gen. ad lit. in institutione rerum, & eadem ratio est de productione animarum quae sunt a solo Deo, non est quaerendum quid Deus possit, sed quid natura rerum premitit. Cum igitur aequalitas in essentis animarum non requirat inaequalitatem potentialium per se, sed potius oppositum, non est probabile quod in animabus aequalibus secundum essentiam sit inaequalitas potentialium per se & inseparabiliter consequentium essentias. Si ergo possibile est inaequalitatem esse in animabus quoad tales potentias, possibile est inaequalitatem in eis esse quoad essentias, & si non, non.

8 De hoc ergo inquirendum est an animae possint quoad essentias esse inaequales. Et videtur probabiliter loquendo quod in animabus non possit esse inaequalitas essentialium, nec in quibuscunque formis substantialibus. Quod probatur primo sic, in quibuscunque formis eiusdem speciei est dare perfectius & imperfectius, nobilius & ignobilius secundum intentionem ibi est dare magis & minus proprie dictae